



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem
Divi Thomae. Tomi Qvinque**

Mysteria Vitæ Christi, Et Utrivsqve Adventvs Eivs Accurata Disputatione Ita
complectens, vt & Scholasticæ doctrinæ studiosis, & Diuini verbi
Concionatoribus vsui esse poßit

Suárez, Francisco

Moguntiaë, M.DC.XVI.

3. Qua gloria & matestate Christus veniet.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94022](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94022)

fitores, Matthæi 24. Quocirca hæc sententia videtur antiquis Patribus conformior, & faciliior, ne sine sufficiente fundamento miracula multiplicemus.

Circa secundum quidam existimant crucem apparituram multis diebus ante aduentum iudicis, scilicet paulo post mortem Antichristi, quando Sol obscurabitur, & Lunation dabit lumen suum. Et probari potest, quia Matth. 24. hæc omnia simul, Scilicet post tribulationem dierum illorum Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suum, & stelle cadent de celo, & virtutes celorum commovebuntur, & tunc parebit signum filii hominis in celo. Et postea subiungitur, Et mittet Angelos cum tuba, & voce magna, &c. ergo illa omnia simul accident ante conuocationem ad iudicium. Vnde Clemens. Papa libro 7. constituit. capite 3. hunc ordinem ponit, Iesus interficiet impium spiritu oris sui, tunc apparebit signum filii hominis, deinde sonus tubæ excitabitur per archangelum, interea mortui ad vitam redibunt, & tunc veniet Dominus. Et congruentia adhiberi potest, quia, ut ait Hippol. de consum. mundi. Antichristus prohibebit fideles ut signo crucis, & iubebit uti charactere suo: ideoque post mortem eius statim apparebit Crux: tum in signum victoriæ Christi aduersus Antichristum: tum etiam ut homines respiciant, & abiecto Antichristi charactere vexillum crucis sequantur. Nihilominus alij probabilius credunt crucem non apparituram vsque ad ipsum iudicii diem, quando index incipiet apparere. Ita Ansel. in Elucid. ubi Christi aduentum ad iudicium, sic describit. Sicut Imperator ingressurus ciuitatem, corona eius & alia insignia præferuntur, per quæ aduentus eius cognoscitur: ita Christus in ea forma qua ascendit, cum ordinibus omnibus Angelorum ad iudicium veniens, angeli crucem eius ferentes præbunt. Atque idem sentiunt omnes, qui hanc crucis apparitionem ita describunt, ut dicant esse deferendam ante conspectum Christi descenditis. Sic autem de illa scribunt Ephrem, Cyril. Ierosolymitanus, Chrysostomus, & Augustinus locis citatis. Et Iulian. Pomier. libr. 3. Prognostic. ca. 5. ubi eodem fere exemplo vtitur quo Anselmus, dicens angelos præcessuros Christum, signum illud triumphale, crucis vexillum sublimibus humeris præferentes. Præterea quod crux permanens sit in aere visibilis, quamdiu iudicium durauerit, docent omnes supra dicti Patres, qui de hoc mysterio scribunt. Et est per se verisimile. Quia eo maxime tempore necessarius erit aspectus ipsius ad ostensionem diuinæ iustitiæ, & gratiæ, & ad confusionem hostium Christi, & omnium hominum peccatorum: ergo verisimilius est signum crucis appariturum in ipso die iudicii: Atque hæc posterior pars mihi magis probatur: & saltem existimo non esse negandum. Cum crucis signum in ipso Christi aduentu visibiliter appariturum sit, eius quoque visibilem præsentiam duraturam, donec iudicium finiatur: hoc enim aperte docent omnes sancti, & est magis consentaneum rationi, & fini huius apparitionis. An vero etiam sit appariturum signum crucis ante resurrectionem post Antichristi mortem incertum est, nam ex ordine enarrationis Euangelicæ, ut supra dixi, nihil certi haberi potest. Quod si ex illa aliquid colligi potest, solum est: statim post signum Crucis videndum esse Christum venientem in nubibus celi, & maiestate.

Exiis facile definiri potest, quod tertio loco est propositum, scilicet quo modo futura sit hæc apparitio crucis. Tribus enim modis intelligi potest, primo, ut appareat in aere, ibique immobilis perseveret in loco aliquo, ubi ab omnibus ad iudicium congregatis conspici possit. Secundo, ut feratur ab Angelo tanquam vexillum quod præcedit iudicem. Tertio, ut prius appareat in aere: postea vero ab Angelo aliquo assumatur: & deferatur ante iudicem: omnes enim hi modi possibiles sunt, & non est reuelatum quo re ipsa futurum sit: Secundus tamen

Fr. Suarez. Tom. 2.

videtur frequentius explicatus à S. Patribus, qui solum coniectura, & probabili consideratione ducuntur.

Inquiri ergo potest, an simul cum cruce ostendenda sint, & deferenda alia passionis insignia. Nam D. Thom. dicto opusc. cap. 244. dicit, Veniente Domino ad iudicium, signum crucis, & alia passionis insignia demonstrabuntur. Vnde refert Viguer. ca. 21. §. 2. vers. 6. quorundam sententiam asserentium omnia signa passionis esse deferenda ab angelis præeuntibus Christum. Sed hæc quæ neque in Scriptura, neque in Patribus fundata sunt, non sunt à nobis affirmanda: Si quis autem dicto modo considerare ea voluerit: sine errore vel temeritate id facere poterit: nam licet reuelatum non sit, non est tamen contrarium reuelatis, neque aliquid minus decens, aut rationi contrarium continet.

SECTIO III.

Qua gloria, & maiestate descensurus sit Christus ad iudicium.

Incipimus in superioribus futurum esse secundum Christi aduentum in gloria, & maiestate: hoc ergo loco explicandum est, qualis futurus sit huius aduentus splendor, & ornatus, & in primis supponendum est non esse sermonem de gloria intrinseca ipsius Christi descenditis: certum est enim hanc gloriam non futuram maiorem vel minorem eo die in animo, vel corpore Christi quam nunc sit. Qualis enim ascendit, & qualis ad dexteram Patris sedet, eo die descendet, iuxta illud Act. 1. Hic Iesus, qui assumptus est à vobis in celum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum eire in celum. Et ratio est manifesta, quia sicut beatitudo animi essentialis immutabilis est, ita etiam claritas, & aliæ dotes gloriæ, quæ corpori comunicantur, immutabiles sunt. Veniet igitur Christus cum eadem gloria animi & corporis quam in celo habet: de qua nihil hoc loco addendum superest, sed solum de exteriori gloriæ apparatu, & externis signis maiestatis, quæ in aduentu suo exhibebit, quæ variis modis in scriptura sacra proponuntur, Matth. 24. Videbunt filium hominis venientem in nubibus celi cum virtute multa, & maiestate, & cap. 25. Cum venerit filius hominis in maiestate sua, & omnes angeli cum eo: tunc sedebit super sedem maiestatis sue, & cap. 26. Videbitis filium hominis sedentem à dextera virtutis Dei, & venientem in nubibus celi. Ex quibus plures circumstantiæ colligi possunt, quibus maiestas & gloria huius aduentus declaratur.

Prima est, quod veniet in nubibus celi cum virtute multa, quæ verba proprie intelligi possunt, nam ad ostendendam claritatem Christi diuina virtute congregabuntur ex aere crassiores, vel ex vaporibus: aut aliis exhalationibus terræ nubes ita dispositæ, ut ex fulgore & claritate corporis Christi, admirabilis quidam aspectus in eis fiat, qui sanctos mirum in modum delectabit: reprobos vero perterrebit. Quocirca non est quod immoremur in explicanda causa efficiendi, vel finali harum nubium. Quam rem late tractat Sorus distinctione 47. q. 2. art. 1. ubi probat has nubes non esse congregandas per causas naturales, cum iam tunc motus celorum non sit futurus. Sed hæc ratio rem incertam assumit, nam fortasse motus celorum non cessabunt, donec sit finitum iudicium. Nihilominus tamen verisimilimum est has nubes non esse per solas causas naturales formandas: quia nec finis earum pertinet ad ordinem naturæ, nec facile fingi poterunt naturales causæ, quæ illas possint efficere in tali quantitate, dispositione, & figura, qualis ad representandam Christi gloriam necessaria sit. Fient ergo imperio Christi, & fortasse angelorum ministerio: sicut in baptismo, transfiguratione, & ascensione nubes diuinitus formatae sunt. Ratio autem ob quam Christus veniet in nubibus, non est ut eis fulciatur, tanquam vehiculo aliquo (non enim illo indiget, ut supra diximus de ascensione

LII 2 agen-

Dubium.
D. Thom.
Viguer.

Responsio.

Hippol.

Ephrem.
Cyril.
Iulian.

Apparitio
Crucis quo-
modo futu-
ra.

Christus in
nubibus ca-
li cum vir-
tute multa
ad iudican-
dum ventu-
rus.

agentes) sed solum, ut in eis melius fulgeat & splendeat claritas eius, & in eis appareat veluti thronus quidam, in quo Christus tanquam triumphali curru inuestus descendat. Addit vero Sotus, quod per has interpositas nubes reperabitur claritas corporis Christi, ut eius humanitas à damnatis videri queat. Sed hoc etiam non est necessarium. Quia cum claritas corporis gloriosi non necessitate, sed pro mensura voluntatis imprimat speciem sui, nullo indiget temperamento. Tantum enim immutabit visum, quantum Christus voluerit videri. Solum ergo deservient hae nubes ad maiorem quendam externum splendorem, & maiestatis significationem. Habent enim illae quandam naturam, & aspectum ad hoc valde accommodatum. Propter quod apparitiones Dei illustiores in nubibus factae narrantur in scriptura, & specialiter de Christo dicitur Danielis septimo. *Ecce in nubibus caeli quasi filius hominis veniebat.* Quod aut dicitur venturus Christus in virtute multa, significare videtur, venturum ipsum exhibentem multa signa omnipotentis, supremique domini, qualia erunt angelicae tubae, & praesertim illa, qua excitabuntur, & conuocabuntur homines ad iudicium: rursus terramotus, tonitrua, & similia, quae Deus exhibere solet maiestatis, & virtutis signa, iuxta illud, *Dominum formidabunt aduersarii eius, & super ipsos in caelis tonabit. Dominus iudicabit fines terrae.* Lege Clem. lib. 7. constit. c. 33.

Dan. 7.

Clem. Pap.

Hippol.
Anselm.
Dan. 7.Dion.
Hieronym.
Zach. 14.
Iudas.Christus in
throno maiestatis
suae
fessurus ad
iudicandum.
Apoc. 20.
Dan. 7.

Secunda circumstantia est, quod venient omnes angeli cum eo. Quae etiam est in omni proprietate intelligenda. Nullus enim Angelorum deerit, qui non comitetur Christum, eique assit, vel ministret in iudicio. Quod notant Hippol. Ansel. & alij, locis citatis. Quia sermo scripturae vniuersalis est, & nulla est ratio excipiendi aliquem. Vnde Dan. 7. postquam throni positi sunt ad iudicium ferendum, subiungitur, *Millia millium ministrabant ei, & decies milles centena millia assidebant ei.* Quibus verbis significata est tota angelorum multitudo: quae innumerabilis est, ut Dion. exponit c. 14. Cael. Hierar. Et eodem modo exponit Hieron. illud Zachar. *Et veniet Dominus meus, omnesque sancti cum eo:* & de eadem re sic scribit Iudas in sua canonica, *Prophetauit autem de iis septimus ab Adam Henoch, ecce veniet Dominus cum sanctis millibus suis facere iudicium contra omnes, & arguere omnes impios.* Hic vero inquiri posset, utrum angeli venturi sint cum Christo in assumptis corporibus, an vero solum in substantia sua spiritali. Sed (quia de hac re nihil scriptum reperimus) solum fieri potest coniectura, venturos tunc Angelos in assumptis corporibus lucidissimis, & pulcherrimis. Quia cum hic aduentus Christi sit sensibilis, & cum gloria, & apparatu externo, ac sensibili, congruum videtur, ut omnes Christi comites, & ministri assumant sensibilia corpora, ut splendor, & maiestas huius aduentus etiam sensibilibus oculis conspici possit. Praeterea diximus in superioribus, tubas, quibus angeli videntur in die iudicii, futuras sensibiles ex aere conflatas: retulimus etiam ex Sanctis Patribus, probabile esse sanctos angelos delaturos crucis vexillum ante Christum. Rursus in ascensione Christi angeli, qui apparuerunt Apostolis in vestibus albis, corpora assumpturum in figura humana: ergo etiam est credibile, multos ex angelis, praesertim illos, qui ministrabunt Christo, eo die corpora assumpturos. An vero omnes etiam supremi, qui Christo assistent, idem sint effecturi, incertum est: non est tamen improbabile propter priorem coniecturam adductam.

Tercia circumstantia est, sessurum Christum in throno maiestatis suae, de quo Ioann. Apocalyp. 20. sic inquit, *Et vidi thronum magnum candidum, & sedentem super eum:* & postea subdit, *mortuorum resurrectionem, & iudicium de eis factum.* De quo throno dicitur etiam Dan. 7. *Aspicebam donec throni positi sunt, & antiquus dierum sedet, vestimentum eius candidum quasi*

nix, & capilli capitis eius quasi luna munda, thronus eius flamma ignis, rotae eius ignis accensus. Quamuis enim ibi sit sermo de Deo secundum naturam diuinam, & de throno diuinæ maiestatis: tamen bene etiam potest accommodari ad Christum iudicem, qui in eodem throno sedet, ut dicitur Apoc. 4. & 5. & ad antiquum dierum peruenit, ut in eodem cap. Dan. dicit. Hæc igitur, quæ de throno, & sede Christi iudicantis scripta sunt intelligi possunt, vel solum esse dicta per metaphoram ad explicandam gloriam, & maiestatem Christi: vel certe aliquo modo exponi etiam possunt secundum proprietatem, nimirum, quod Christus etiam in exteriori, & visibili forma, sicutque corporis re vera sessurus sit in throno sensibili, & corporeo ad modum solij efformato. Priorem sensum amplectitur Orig. tract. 34. in Matth. ubi sic inquit, *De sede gloriae eius quid est dicendum? Putas, quia corporale subiectum erit? An etiam hoc opus habet interpretatione subtiliori? Propterea, qui vult omnia rationabiliter intelligere, multam sapientiam inueniet in istis: & infra, Sedes autem eius aut quidam perfectiores Sanctorum dicuntur, de quibus scriptum est. Quoniam illic sederunt sedes in iudicio: aut quidam virtutes Angelicae: de quibus dicitur, siue Sedes: siue Dominationes, &c.* Nihilominus tamen posterior sensus praefendus videtur. Orig. enim in eo loco omnia hæc, quæ de secundo aduentu suo Dominus dixit, metaphorice interpretatur de intelligibili, & spiritali aduentu. Nos autem supra ostendimus, proprie esse intelligenda de aduentu sensibili. Quare sicut cetera, quæ ad gloriam Christi spectant, intelliguntur signis sensibilibus representanda: ita verisimile est, etiam in figura externa, & sensibili sessurum ad iudicium, ad iudicandam iudicis auctoritatem, & maiestatem, iuxta illud Psal. 9. *Sedisti super thronum, qui iudicas equitatem.* Et ita Ansel. in elucidario, quantum Apocalyp. 20. per thronum, Ecclesiam intelligat. Vtrumque tamen est verum, & metaphoricus sensus proprium non excludit, cum sine inconuenienti admitti possit. Atque hoc sequuntur frequentius Scholastici. Quin potius non est improbabile, non solum in loco iudicii sessurum Christum hoc modo, verum etiam in eodem throno descensurum, atque in eo humeris Angelicis esse deuehendum, & fortasse à Thronis in assumptis corporibus, non quod ipse vehiculo indigeat (ut iam diximus) sed ad significationem supremi honoris, & maiestatis.

Apoc. 4. & 5.

Orig.

Thronus
Christi iudicis
corporeus
& sensibilis.Psal. 6.
Anselm.

SECTION IV.

Utrum aliqui sessuri cum Christo sint, ut una cum eo iudicent.

Quod aliqui Sanctorum sint Christo iudici assessori, & iudicaturi, frequens est in scripturis Mar. 19. ait Christus, *Amen dico vobis, quod vos, qui sequi estis me, in generatione, cum sederit filius hominis in sede maiestatis suae, sedebitis, & vos super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israel.* & Luc. 22. *Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis, & ego dispono vobis, sicut disposuit Pater meus regnum, ut edatis, & bibatis super mensam meam in regno meo, & sedatis super thronos iudicantes duodecim tribus Israel:* & 1 Cor. 5. *An nescitis quoniam Sancti de hoc mundo iudicabunt: & si in vobis iudicabitur mundus, indigni estis, qui de minimis iudicetis.* Nescitis, quoniam Angelos iudicabimus? Quanto magis secularia? Sap. 3. *Fulgere iusti, & tanquam scintille in arundinetis discurrunt: iudicabunt nationes, & dominabuntur populis.* Itaque certum de fide est, Sanctos esse cum Christo sessuros, ac iudicatos, cum hoc expresse scriptura doceat. Quo modo autem id intelligendum sit, in praesenti est explicandum. In quo tria desiderari possunt. Primum quomodo sancti sint cum Christo iudicaturi. Secundo, an hoc conueniat omnibus sanctis, vel aliquibus tantum, & quinam illi sint. Tercio an aliqui sint specialiter sessuri cum Christo ad iudicium, & quomodo.

Circa